



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Chariton Conf. 28. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

## S. CHARITON CONF.

28. Septembris.

Sic persuasum habeo, uti dedecus  
 Splenum ignominia civi Romano  
 fuit, ita plenum gloria facinus Chri-  
 stiano fuisse, ad tribunal cædi. Cur  
 enim CHARITON nobilis Iconii ci-  
 vis obtorto collo in jus iniquissimum  
 raptatus exultavit etiam gaudio, cum  
 in crucis formam extensus flagris ce-  
 deretur barbarum, & facibus ustulare-  
 tur miserandum, nisi quod uni Scevola  
 Romano invidiam facere omnes Chri-  
 stiani vellent, docereque nullas hone-  
 stiores cicatrices esse, quam pro Christo  
 à tyranno acceptas? His plenus miles  
 noster in carcerem detrusus est. ape-  
 ruit tamen huic, quæ vitam clausit im-  
 piam Aureliano mors impia. Ergo li-  
 ber CHARITON ut Christi vestigiis  
 insisteret, instituit Ierosolymam pete-  
 re; sed interceptum ex itinere prædo-  
 nes in antrum suum abducunt, ignari  
 à captivo se spoliandos. Etenim cum  
 palantibus illis serpens haustum libal-  
 set, mortem omnes sub adventum bi-  
 berunt, & è vinculis CHARITON  
 Angeli operâ exemptus spolia omnia  
 prædonum prædam pauperum fecit.  
 Inde jam animis insidias struere CHA-  
 RITON, & ex urbe socios vitæ pluri-  
 mos in silvas pellicere, jamq; asceteria

terna

terna condere, verbis, exemplo tenere. Post hæc denique placuit rupem conscendere (per solas scalas aditus erat) indeque velut ex arce suis advigilare. Fons quoque cum deesset, lacrimis hunc mercatus est. Denique cum ad suos undique convocatos pro virtute verba faceret, dixit & vixit. *Ex Metaph.*

## S. LIOBA ABBATISSA.

28. *Septembris.*

**L**IOBA est, nobilis cum primis & Deo dicata virgo, eademque virginum multarum mater. Et hanc cum Germaniam percoleret D. Bonifacius ex Angliâ in auxilium evocavit, ut novo Parthenoni Bischofsheimensi antistes præflet. Vitam vixit, quam rebellis coelo Angelus invideret homini. Inde cum labe nullâ posset, sinistris rumoribus famam vitare virginis aggressus est in hunc modum. Muliercula stipe victitabat, quam in dies singulos virginum asceterium porrigebat. Hæc cum prolem extra thori leges enixa esset, crimen mergere cum partu in rivo voluit, qui cœnobium proximus alluebat. Sed non eluerunt aquæ facinus; prodiderunt, & in suspicionem cædis ad populum totum virginum Collegium vocarunt. Hic LIOBA in auxilium Superos passis manibus tam diu vocare, dum Davidis omnia  
car-